



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Praxis IV. Tempore Septuagesimæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

præstita visitationibus, tibi quoque confer-
ri in tuis visitationibus roga. Ut supra

Praxis IV.

Tempore Septuagesimæ.

I. VENIO ad te in Templum, Rex su-
preme, cum Virgine Matre primo-
genitum suum sistente & offerente: & li-
bertatem meam, velut primogenitam, ad
omne beneplacitum tuum sisto & offero,
suscipe eam in odorem suavitatis & gratiã
tuã perface.

II. Curro ad te, Magister optime, ve-
luti Magdalena, ut sedens ad pedes tuos,
audiam quid loquatur in me Dominus:
loquere, ergo, Domine, quia audit servus
tuus: Domine quid me vis facere?

III. Festino ad te, cœlestis Medice,
velut alter Paralyticus, qui sine ope gratiæ
tuæ, nec manum nec pedem meritorie
movere valeo: Domine si vis potes me
sanare.

IV. Accedo ad te, divine Archiater,
tanquam Centurio Evangelicus, & cum
profunda reverentia ac humilitate adoro
te, & demissè obsecro, ut animam meam

tot febribus, quot concupiscentiis aestu-
antem refrigeres: tantum die verbo, & sa-
nabitur anima mea.

V. Recurro ad te, Omnipotens Thau-
maturge, quemadmodum Cæcus ille E-
vangelicus & cum fiducia clamo: Jesu
Præceptor miserere mei: nec aliud requi-
ro, nisi ut videam mundi vanitatem, vitæ
brevitatem, gloriæ & pœnæ æternitatem,
propriam vilitatem, tuam sublimitatem.
O noverim me, noverim te!

VI. Appropinquo ad te, ô Doctor Jus-
titia! sicut Legisperitus ille, ut viam Dei
in veritate me doceas, & viam veram ad
vitam æternam commonstres. Quid fa-
ciendo vitam æternam possidebo? Di-
liges.

VII. Confugio ad te, ô Afflictorum
solatium, & desolatorum asylum! & cum
Cananæa clamo: Jesu Fili David miserere
mei! peto que velut catellus micæ, quæ ca-
dunt de mensa Dominorum, reliquias sci-
licet devotionis, quas veri filii & devoti
famuli tui in usu venerabilis Sacramenti
degustant. O gustem & videam!

Praxis